in Salvatorem postea credentes ex Virgine natum, non modo existere credunt, imo vero ipsi eamdem colunt, quod tamen ethnici qui adhuc in idololatria permanent, credere nolunt.

## S. EPHRAEM Syrus (ca 306 †373)

### Evangelii concordantis expositio

EC 8 Cap. I. [...] Zacharias accessit ad angelum, ut doceret, filium 289
suum minorem esse angelo. Ad Mariam vero ipse venit angelus, ut ostenderet, eius filium esse dominum angeli. In templum venit angelus, ne praetextus praeberetur eis qui mendacii praetextum quaerebant. Ad Elisabeth angelus non venit, quia Zacharias erat genitor Ioannis; ad Iosephum autem Gabriel non venit, quia Maria sola erat genitrix Unigeniti. Gabriel ad Elisabeth, cui erat maritus, non venit, ad Mariam autem venit, ut nomine suo locum expleret mysterii viri.

EC 15 [...] De Elisabeth autem scriptum est, quod se absconderit quin- 290
que menses, donec scilicet membra filii sui formarentur, ut laetabundus coram Domino suo exultaret, et quia Mariae annunciatio prope erat.

*Mense sexto;*[1] numerat enim Evangelista tempus, ex quo Elisabeth concepit. *Dabit ei Dominus Deus sedem David*, videlicet, quia praedictum erat: *Non deficiet dominator et princeps, donec veniet.*[2] Et quum angelus eam docuisset, omnia Deo esse facilia, dicens: *Et Elisabeth soror tua concepit in senectute sua*, tunc dixit Maria: Si huic ita contigit, *ecce sum ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Licet propterea quod Angelus ad Mariam dixit: « Elisabeth soror tua », opinentur, Mariam ex domo Levi esse, tamen dicendum est, in una tantum serie proavorum prophetiam constitutam fuisse. Permansit genus David usque ad Mariae sponsum Iosephum, cuius generatio naturalis fuit. Propter genus David haec gloria facta est, quoniam in Christo et semen et genus eius perfectum est. Tacet autem Scriptura de Mariae genere, quia viri genus
*16 numerare et recensere solet. Si moris fuisset, matrum * genus declarare et ostendere, recte aliquis et de genere Mariae quaereret. Quum autem Dominus una cum regno etiam sacerdotium abrogaturus esset, utrumque genus simul monstravit Iudae per Iosephum et Levi per Mariam. Rursus David respectu patris, a quo Christus oriturus erat, in prophetia dixit: *Tu es sacerdos in aeternum secun-*

[1] Lc. I, 26-38.
[2] Ps. CIX, 3.

*dum ordinem Melchisedech.* Quodsi, quia Scriptura dixit: « Elisabeth soror tua », ideo hoc dictum esse putas, ut manifestaretur, Mariam esse ex domo Levi, alio loco eadem Scriptura dixit, utrumque, Iosephum et Mariam, esse ex domo David. Sed non dixit angelus ad Mariam: Tu es soror Elisabeth, sed *Elisabeth soror tua.*

Si Maria ex alio genere esset, falsum esset, quod dicitur: *e domo David*, et quod dixit angelus: *Dabit ei Dominus Deus thronum David patris sui.* Mariae filius est, et non Iosephi. Itaque non aliunde in carne apparuit, quam ex David, dicente Scriptura: *Germinabit virga ex radice Iesse, germinabit et florebit flos ex radice eius.*[1] Et Apostolus testatur: *Dominus noster Iesus Christus ex Maria factus est, ex semine domus David* et reliqua.[2] Rursus scribit ad Timotheum: *Memor esto Iesu Christi qui a mortuis resurrexit, qui factus est ex semine David*, et reliqua.[3] Porro invenimus, genera Iudae et Levi * invicem commixta esse, per Aaronem, qui sororem Naassonis, *17
ducis domus Iudae, in matrimonium sumpsit, et per Ioiadam sacerdotem, qui filiam Iorami principis domus David uxorem duxit.[4] Caeterum ipsum verbum angeli, qui propinquam cognationem Mariae et Elisabeth memorat, testatur, has tribus per matrimonia mixtas esse.

Et surgens abiit Maria ad Elisabeth, ut disceret, num revera ita ei factum esset, et ut de hoc certior facta, de eo quod ad se spectabat, non dubitaret. Porro Maria surgens abiit ad Elisabeth, quae minor ea erat, sicut et Dominus ad Ioannem venit. *Unde mihi hoc, quod venit mater Domini mei ad me?* [5] Videns Maria, etiam alios de donis sibi datis gloriari, Deum laudans dixit: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*[6] Ioannes ergo quum adhuc in lumbis Zachariae esset, sicut Levi in lumbis Abrahami, Domino iam ministravit eumque expectavit, quasi flos mensis Arek (Martii), tacite praedicans de uva, quae expressa est in medio Ierusalem. Et quemadmodum flos quinque mensibus praecedit, donec sanguis uvae fieri incipit, ita et Ioannes prius conceptus est, ut conceptionem Adorandi adorando praedicaret. *Beata erit, quae credit, quia fiet impletio omnium verborum, quae facta sunt ei a Domino.*[7] * Quum *18
Maria in abscondito sibi dicta ad Elisabeth rettulisset et haec illi

[1] Isa. IX, 1.
[2] Rom. I, 3.
[3] II Tim. II, 8.
[4] II Chron. XXII, 11.
[5] Lc. I, 43.
[6] Lc. I, 48.
[7] Lc. I, 45.

congratulata esset, quod credidisset et perficerentur ea quae prophetae eorumque discipuli audissent, tunc Maria fructum eorum quae ab angelo et ab Elisabeth audierat, suaviter protulit et: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum* etc.[1] Verbis Elisabeth: *Beata quae credidit*, Maria sua verba opposuit: *Beatam me dicent omnes generationes*. Hoc igitur tempore et his verbis Maria novum regnum praedicare coepit. Post tres autem menses in domum suam reversa est hac ex causa, ne Dominus ante servum suum quasi famulus staret. Atque ad virum suum venit, ut res, quomodo se haberet, patefieret; si enim humanum foetum in utero portasset, fugisset potius a viro suo.

Concepit Elisabeth mense Sahmi, postquam Zacharias dies ministerii et officii sui complevit. Annunciatio Mariae evenit decimo die mensis Arek, sicut illa Zachariae decimo die mensis Hori. *Hic mensis sextus est illi.* Lex praecepit, ut decimo die mensis Arek includerent agnum (paschalem). Eodem die agnus verus in utero virginis inclusus est, quo tempore lux potitur imperio, et per hoc docuit, se venisse, ut Adami nuditatem obtegeret. Natus est autem die sexto mensis Chaloz iuxta graecam computationem, quo tempore sol vincere incipit, ostendens diabolum victum esse et hominem vicisse in Eo qui omnia vincit.

EC 19 Exultavit prae gaudio Ioannes, munus praeconis sibi datum si- 291
gnificans. Gaudens exultavit infans sterilis ante infantem virginis. Quaesivit Ioannes matris suae linguam, qua de Domino diceret prophetiam. Ac propterea per sex menses, donec membra infantis perfecta essent, conceptus Elisabeth abscondebatur Mariae, ut infans ante Dominum suum laetabundus exiliret et exiliendo Mariae testis fieret. Exultatio autem infantis in utero matris non ab ipso infante effecta est, nec inde, quod quinque mensium erat, provenit, sed ut gratia in utero sterili, qui eum conceperat, se revelaret et Virginis quoque uterus magnam cognatae suae gratiam cognosceret, mundusque crederet, filios earum per vocem annunciantis Gabrielis, qui utriusque quasi colonus erat, conceptos esse. Quia igitur Ioannes, quum exultaret, clamare et de Domino suo testificare non poterat, mater eius dicere coepit: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.*[2] In emortuo utero Dominus noster praeconem suum praeparavit, ut ostenderet, se mortuum Adamum quaesitum venisse. Vivificavit prius uterum Elisabeth, et postea corpore suo vivificavit sepulcrum Adami.

[1] Lc. I, 47.
[2] Lc. I, 42.

Elisabeth in senectute peperit ultimum prophetarum, et Maria in iuvenili aetate Dominum angelorum. Filia Aaronis peperit vocem clamoris in deserto, et filia regis David Verbum regis coelestis. Uxor sacerdotis peperit angelum faciei eius, et filia David fortem Deum terrarum. Sterilis peperit eum qui peccata remittit, et virgo eum qui tollit peccata. Elisabeth peperit eum qui reconciliat homines per poenitentiam, et Maria genuit eum qui purificat terras ab immunditia.

292 Cap. II. *Generatio Iesu Christi sic erat. Quum desponsata esset mater eius Maria Iosepho, et antequam data esset viro, inventa est gravida a Spiritu sancto.*[1] Hoc Evangelista non in sensu profano dixit, sicut gentiles in suis historiis fabulantur, deos suos ita abiectos fuisse, ut turpi oblectationi cupidinum et filiorum contra naturam procreationi se dederent. Ne igitur et tu, * quando hoc de Maria audis, talia suspiceris, qualia gentiles fabulantur, addit, eam gravidam inventam esse a Spiritu, non autem ex coniugio eam peperisse. Nam per sanctam eius conceptionem aditus dabatur divinae clementiae, ut habitaret in omni carne. Quod autem Maria prius desponsata est et nomen viri sui accepit et dein gravidata est, id propter seriem regum factum est, quia impossibile erat, ut infans nomine matris suae genealogiae inscriberetur, hac autem ratione filius David regibus adscriptus est. Vel propter mentem pravorum hominum id factum est, qui calumniam fornicationis Mariae ingererent, quare viro miti data est, qui eam, quum praegnans conspiceretur, retineret, et quum pareret, e domo non expelleret, sed cum ea habitaret et calumniis oppressae socium voluntarium se exhiberet. Testis hic erat Mariae apud omnes, filium eius non ex adulterio ortum, sed ex virtute Spiritus conceptum esse. EC 20 *21

293 Natus est autem sine viro. Quemadmodum ab initio Eva ex Adamo sine coniugio nata est, ita Maria Iosepho et virgo et uxor erat. Eva peperit occisorem, ideo Maria peperit vivificatorem. Illa peperit eum qui effudit sanguinem fratris sui, haec peperit eum cuius sanguis a fratribus suis effusus est. Illa vidit eum qui per maledicta terrae tremens et profugus factus est, et haec vidit eum qui maledicta sustulit et in ligno crucis clavis affixit. In virginis conceptione disce, quod, qui sine coniugio Adamum ex virginea terra protulit, is etiam Adamum secundum in utero virginis formaverit. Et quia primus homo in uterum matris suae redierat, per hunc secundum, qui in uterum matris suae non redibat, reductus est ille primus, qui in utero matris suae sepultus est. EC 21

[1] Matth. I, 18.

EC 22 Maria Iosepho persuadere studebat, conceptionem suam a Spi- 294
ritu esse, at ille non assentivit, quia res erat inaudita et omnino nova. Quum Ioseph vultum eius hilarem, uterum vero tumidum videret, pro sua iustitia cogitabat, ut diffamationi et opprobriis eam non exponeret, sed tacite dimitteret, quia neque peccatum eius noverat, neque de conceptione eius, unde esset certus factus erat. Quapropter apparuit ei angelus et dixit: *Ne timeas*. Quod si dubitas, Isaiam audi prophetam dicentem: « Ecce virgo concipiet », et Daniel dicit: *Lapis dissectus sine manu*.[1] Quod non est simile illi dicto: « Aspicite in montem et vallem », quo in loco virum et feminam innuit, hic vero dixit: « Sine manu ». Sicut Adamus in creatione Evae vicem patris et matris explevit, ita et Maria in generatione Domini nostri.

*Ioseph, qui vir iustus erat, noluit traducere Mariam*.[2] Sed ecce, iustitia eius inimica et contraria est legi, quae dixit: « Manus tua primum incipiet lapidare eam », ille vero eam occulte dimittere voluit. At Ioseph noverat, conceptionem hanc singularem esse et res a condicione mulierum et a statu gravidarum nuptarum alienas accidisse, quae omnia indicia ei praebuerunt, unde cognosceret, a Deo hanc rem factam esse. Nunquam enim alicubi in Maria rem impudicam animadverterat, nec poterat ei non credere, quae multa testimonia habebat, Zachariam mutum, Elisabeth praegnantem, angeli annunciationem, exultationem Ioannis et prophetiam patrum eius; haec enim omnia cum aliis multis de conceptione virginis con-
*23 clamabant. Quamobrem ex iustitia cogitavit, ut tacite eam * dimitteret. Si enim cognovisset, conceptionem eius non a Spiritu Sancto esse, eam non traducere haud iustum fuisset.

EC 23 Attamen bene sciens, hoc opus Dei, etsi in se mirabile, aliis ta- 295
men esse incredibile, mente sua diiudicavit, iustum esse, ut eam dimitteret. Rursus cogitavit, fieri posse, ut tantum opus ullo modo macula afficeretur, si invicem cohabitarent. Et uberius secum deliberans dixit: Haud scio, an mihi nullum peccatum oriatur, si pater appeller divini nati. Et timuit habitare cum ea, dicens: Ne forte dehonestem nomen virginis. Propterea dixit ei angelus: *Ne timeas, accipere Mariam*. Prosequitur Scriptura: *Sancte habitabat cum ea*, etc.[3] Et ideo, ut nonnulli dicunt, Zachariam occiderunt, quia Mariam ad latus templi conservabat, nam virgines illae ad unam partem templi congregabantur. Alii dicunt, Zachariam, quum in caede infantium eius filius ab eo exigeretur, quia illum per fugam in de-

[1] Dan. II, 34.
[2] Matth. I, 19.
[3] Matth. I, 24.

sertum servaverat, occisum esse ante altare, sicut Dominus dixit. Dantur qui dicere audeant, Mariam post nativitatem Salvatoris uxorem Iosephi fuisse. At quomodo fieri potuit, ut ea quae domus fuit et habitatio Spiritus, et cui divina virtus obumbravit, postea coniux mortalis hominis fieret et in doloribus iuxta similitudinem primae maledictionis pareret? Quum enim Maria benedicta est in mulieribus, per eam soluta sunt maledicta * originalia, quibus filii *24
in doloribus et maledictis pariuntur. Quae in his doloribus parit, non potest vocari benedicta. Sed sicut Dominus intravit portis clausis, eodem modo ex utero virginali exiit, quia haec virgo sine partus doloribus realiter et vere peperit. Si propter Noe bestiae castae et mansuetae factae sunt in arca, decuit etiam virginem a propheta praedictam, in qua Emmanuel habitavit, ad connubium non accedere. Bestiae Noe ex necessitate id fecerunt, Maria ex voluntate. Sicut concepit in puritate, ita in sanctitate permansit.

Si filii Aaronis, quia ignem profanum inferebant, occisi sunt, quantis poenis et ista affecta esset? Et si lex mercatoribus aquam vino immiscentibus poenas indicit, quanto magis et hic sententia damnationis sequuta esset? Si autem propterea quod quidam discipuli fratres Domini nominantur, existimant, hos filios fuisse Mariae, sciant, quod et ipse Christus appellatus est filius Iosephi, non solum a iudaeis, sed et a Maria matre eius. *Ecce ego*, ait, *et pater tuus tristes et anxii circumeuntes quaerebamus te.*[1] Quod angelus Iosephum iussit Mariam uxorem accipere, factum est, ut suspicionem ex mentibus expelleret eorum qui eam calumniaturi essent, maxime autem, ut Ioseph eam custodiret, ne ab eis qui de angelo propter conceptum suspicionem habebant, occideretur. Magnum quippe scandalum eis erat virginis partus, quia credebant et sciebant, in eius partu urbem ipsorum dirutum et sacerdotium et regnum sublatum iri. Idcirco etiam prophetam Isaiam occiderunt, quia virginem parituram esse annunciaverat. Virgo itaque peperit primogenitum et virginitas eius integra et inviolata permansit. * Ipse autem primogenitus EC *25
nos in baptismo genuit et donis suis primogenitos fecit; in sinu enim baptismi non datur maior et minor, quia omnes per fidem primogeniti sumus, et in nobis impletum est, quod Scriptura dicit: *Omne primogenitum, quod aperit uterum, sanctum Domino vocabitur.*[2] Etenim nos per peccata sordidos et quasi aerugine corruptos baptismus concipit et ex utero suo ab iniquitate purificatos regenerat.

*In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum.* Prae-

[1] Lc. II, 48.
[2] Exod. XIII, 2.

postere dicta sunt verba. Nam prius sumpsit eam et postea habitavit cum ea in sanctitate; sed ita legitur. « Habitavit cum ea in sanctitate et sumpsit eam. Sumpsit eam, dicit Scriptura, quia post conceptionem vir eius nominatus est. Vel verba: In sanctitate habitabat cum ea, ita intelligantur, quod nunquam concupiscentia ex adspectu illius in cogitationem eius venit. *Donec peperit primogenitum*, i. e. in nativitate primogeniti crediderunt noveruntque, quod res est non humanae naturae, sed genitura divina.

Rursus: In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum. Haec sanctitas necessitatis erat, etsi accedente eorum voluntate, sed sanctitas, quam servabant post nativitatem Domini nostri, libertatis eorum erat. Hoc necessitatis tempus definivit eiusque finem indicavit dicens: « Donec ». Porro: In sanctitate habi-
*26 tabat cum ea, donec peperit primogenitum. Quod si ita est, * consequi videtur, Iosephum post partum non in sanctitate cum illa habitasse, quia dixit; « Donec ». Sed « donec » hoc loco non terminum quemdam significat, quemadmodum etiam in illo loco: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedes tuos.*[1] Secus enim diceretur, quando inimici sub pedes eius positi sint, eum surrecturum esse. In sanctitate habitabat cum ea. Nonne ergo coniugium sanctum est, testante Apostolo et dicente: *Thorus eorum sanctus est?*[2] Si vero dicunt: Ecce fratres Domini nostri in Evangelio nominantur, respondeo: Quia Dominus noster Mariam Ioanni tradidit, ostendit, nec hos filios Mariae, nec Iosephum eius maritum fuisse. Quomodo enim is qui dixit: « Honora patrem tuum et matrem tuam », matrem a filiis separasset et Ioanni tradidisset?

EC 28 [...] *Et in signum contradictionis et tuam ipsius animam,*[3] quia 296
diversa cogitabant de eo multi haeretici. Nonnulli enim dicebant: Corpus impassibile assumpsit, alii dicebant: Non in vero corpore dispensationem suam perfecit. Alii corpus eius dicunt terrestre, alii coeleste. Iterum nonnulli dicunt: Prius extitit, quam terra, alii vero: Initium eius in Maria fuit. *Pertransibit gladius.* Gladius quippe, qui
*29 sepivit paradisum propter Evam, tollebatur per * Mariam. Vel: « Pertransibit gladius » i. e. negatio. Sed graecus clare dicit: Revelentur in multis cordibus cogitationes. Nimirum eorum qui dubitabant. [...] Admirabatur enim, aiunt, Maria et de nativitate et de conceptione eius atque aliis narravit, quomodo conceperit et quare pepererit, et nonnulli, admirantes verbum eius, confortabantur, alii vero erant, qui de eo dubitarent.

[1] Ps. CIX, 1.
[2] Hebr. XIII, 4.
[3] Lc. II, 35.

297 Cap. V. *Factae sunt nuptiae in Cana Galilaeorum. Et cum Dominus eo veniret, dicit ad eum mater: Vinum non habent hic. Dicit ei Iesus: Quid est mihi et tibi, mulier? Non mihi tempus advenit,*[1] id est, ego non vi eis me ingero, sed ipsi animadvertant, vinum defecisse et omnes bibere expectent, idque dixit, ut donum suum in oculis eorum gloriosum appareret. Praeproperans erat Maria, qua de causa eam edocuit. Aut: *Non mihi tempus advenit*, tempus videlicet mortis eius. Quia nimirum convivae inebriati erant, si modo violento dona sua in eos effudisset, perpessiones vix evasisset; tum enim initium Evangelii eius fuit. EC 52

Et quia Maria cogitabat, causam miraculorum eius esse, ut gloriam et honorem apud turbas iudaeorum sibi pararet, ideo dixit: *Non mihi tempus advenit.* Etenim non ea ratione, qua Maria opinabatur, rem fecit, sed potius hanc eius cogitationem reprimere voluit. Caeterum Maria miraculi, quod facturus erat, conscia fuit, quia Scriptura dicit: « Omnia conservabat in corde suo », et iterum: *Quodcumque dixerit vobis filius meus, facite.* Vidit Maria, vinum * defecisse, et scivit, non sine causa eum ad has nuptias venisse. *53 Graecus scribit: Recubuit et defecit vinum. Et quum mater hoc ei dixisset, respondit Iesus: *Non mihi tempus advenit*, id est, certe advenit. Maria ab eo edocebatur, ibi signum eum facturum esse, et quum Iesus dubitationem eius vituperasset, dixit ea servis: *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

Porro Maria anxia fuisse dicitur, quia ii qui nuptias celebrabant, ob eius adventum vinum afferre debebant, et: Spernent te, ait, quia tua causa irrisui habentur. In contemptum eos induxisti, quia audient, te venisse, quum eis vinum defecisset.

Dicit ad eum: *Fili, vinum non habent hic.* Et dicit ei Iesus: *Quid est mihi et tibi mulier?* Quid mali Maria dixerat? Maria, aiunt, de verbo eius dubitavit, quia dixit: Vinum non habent hic; ideo: *Quid mihi*, ait, *et tibi mulier?* Mariam intellexisse, Christum miraculum esse facturum, quum ei ita responderet, ex eo patet, quod dixit ad ministros: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Rursus: *Non mihi tempus advenit*, nimirum, postquam in deserto potentiam suam inimico devicto monstravit, ad nuptias mirabiles, ut gigas praeclara gesturus, se contulit.

Accurit Maria, ut pro Apostolis ministra voluntatis eius fieret, et quia ei facultas non erat, neque * praecipiendi, neque verbum eius *54 praeveniendi, restitit ei, quia praepropera erat. *Non mihi tempus meum advenit*, i. e. desiderabunt bibere et invenient, vinum de-

[1] Io. II, 1-11.

fecisse, et tunc signum fiet miraculosum. [...] Et quum Maria usque ad crucem eum sequuta esset, ex illo die eam Ioanni tradidit dicens: *Mulier! ecce filius tuus*, et iuveni: *Ecce mater tua*, quibus verbis iterum eam prohibuit, ne ipsum proprius accederet, quia dixit: Exinde Ioannes est filius tuus.

Quare Dominus ab initio suorum signorum naturam aquae convertit? Ut demonstraret, divinitatem, quae naturam in hydriis convertebat, etiam naturam in utero virginis mutasse, sicut et in fine suorum signorum sepulchra aperuit, ut demonstraret, mortis aviditatem adversus ipsum non praevalere. Utramque grandem commutationem, in nativitate scilicet et in morte sua, obsignavit et confirmavit, quando aqua, quae iuxta suam naturam in vite conversionem subit, in lapideis illis hydriis, natura nihil conferente, convertebatur, quemadmodum caro ipsius mirabiliter in virgine concepta et modo admirabili in virgine sine viro creata est. Ex aqua ergo fecit vinum, ut omnibus persuaderet, quomodo conceptio et nativitas sua facta esset. Sex hydrias vocavit in testimonium unius virginis, quae eum peperit. Hydriae nova ratione, non more suo, conceperunt et pepererunt vinum et amplius non pepererunt. Ita concepit Virgo et peperit Emmanuelem et amplius non peperit. Partus hydriarum ex paucis in multa, ex indigentia in abundantiam, ex mera aqua in vinum bonum; ast in Maria conceptus fiebat ex abundantia in paupertatem, ex gloria in ignominiam.

EC 116 Cap. X. [...] Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, quia abstulit errorem, qui regnavit per serpentem, ut regnet veritas eius qui dedit potestatem calcandi serpentes et scorpiones, i. e. reges eorum. Quia percussit ille calcaneum Evae, calcavit eum pes Mariae. **298**

EC 245 Cap. XX. [...] Maria Dominum vidit in eo, qui in sinu eius recubuit, et Ioannes Dominum vidit in ea quae ex utero eum peperit, ideo huic prae ceteris discipulis eam commendavit. **299**

EC 249 [...] Quia mors per aurem Evae intraverat, per aurem Mariae vita intravit; et quia homo debita per lignum contraxerat, Christus venit, et per lignum ea solvit. **300**

### Explanatio in Genesim

OS (1) I, 177 Cap. XXVIII. [...] *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Plenus ager, cui Isaac filium suum similem dicit, Paradisus fuit, idemque benedictae Mariae figura est: Maria nimirum coelestem illam spicam nobis protulit Christum nova se- **301**

[1] Cf. Ricciotti, 102 ss.

cundum carnem generatione natum, ex qua panis vitae confectus est nobis. Eadem virgo fuit ager, cui benedixit Dominus, nobisque dedit spicam coelestem pro campo, cui idem Dominus maledixit: terra quippe maledicta Eva fuit, illa mater viventium.

### In Exodum commentarii

**302** Sectio XII, 1. *Mensis*, ait, *hic erit principium mensium anni. (Die) autem decima huius (mensis) capiant singuli agnum per domos; et servatus erit ab eis usque ad decimam quartam diem et immolabunt eum ad solis occasum; et aspergant sanguine limina et superlimina domorum in quibus manducent eum.*[1] CSCO 153-72, 120

2. Agnus autem typus est Domini nostri, qui decima die (men-
*sis) Nisan (Aprilis), venit in uterum; a die decima enim mensis septi- *121
mi quo nuntium acceperat Zacharias de nativitate Ioannis, et usque ad decimam (diem) mensis primi, quo nuntium accepit Maria ab angelo, sex menses sunt; propter quod dixit ei angelus: *Hic mensis sextus est mensium illi quae vocata erat sterilis.*[2]

3. (Die) decima igitur, quo inclusus est agnus, conceptus est Dominus noster; et (die) decima quarta, quo immolatus est, typus eius crucifixus erat.

### Explanatio in Librum Iudicum

**303** Cap. VI. [...] Gedeonis vellus, quo rorem de coelo accepit, Virginem figuravit, quae Deum Verbum concepit. OS I, 317

### In II Librum Regum

**304** Cap. II. [...] *Ait ille: afferte mihi lagenulam novam.*[3] Superiori allegoriae haec optime congruunt. Lagenula videlicet nova Mariam Virginem designat, cuius intra intemerata viscera, nova et singulari conceptione formatus est Christus futurus corruptae naturae nostrae condimentum, et communis sterilitatis remedium. OS I, 521

### Explanatio in Esaiam prophetam

**305** Cap. VII. [...] *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.*[4] Virgo, inquit, concipiet, etsi cum ipsius voca- OS II, 33

[1] Exod. XII, 2, 3, 6.
[2] Lc. I, 36.
[3] II Reg. II, 20.
[4] Isa. VII, 14.

• EC 35, 36, 74, 123, 127, 256, 266.
• Commentarii in Ep. D. Pauli, 133, 140, 161, 250, 260.
• In dispositione locorum secuti sumus *Assemani* ad maiorem commoditatem Lectoris, quamquam non omnes loci sint certi.

bulo, et natura pugnare ista videantur, nempe si sit illa Virgo, quomodo uterum gerat? Si gerat uterum, quomodo virgo sit? Atque adeo quisnam istud affirmanti aurem commodet aut praestet fidem? *Dominus ipse dabit vobis signum.* Atqui cum dederit, tu Rex modum ne quaeras, nil enim Deo difficile: quidquid voluit peractum est.

### Explanatio in Ieremiam prophetam

OS II, 145 Cap. XXXIII. [...] *Ecce Dominus ascendet super nubem levem,* **306**
*et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.*[1] Nubes itaque, quam Dominus conscendit Virginem Mariam Dei Genitricem nobis figuravit.

### Explanatio in Danielem prophetam

OS II, 206 Cap. II. [...] Atque proinde *lapis excisus sine manibus,*[2] Domi- **307**
nus est, qui in sua exinanitione *sectus de monte lapillus* dicitur, de stirpe videlicet Abrahami natus. Eademque *montis* figura pariter designabatur sancta Virgo, ex qua *decisus fuit mysticus ille lapis sine manibus,* i. e. sine virili semine.

### Explanatio in Michaeam prophetam

OS II, 278 Cap. V. [...] *Et tu Bethlehem minima ut sis in millibus Iuda, ex* **308**
*te exiet Dux, ut sit Princeps super Israel; et egressus eius ab initio a diebus saeculi.*[3] Sermo est de corporali Dei Verbi Nativitate ex Virgine in Bethlehem Ephrata nascituri. Non dicit ex te est, sed ex
*279 te exiet, i. e. * exiet ex te in corpore; nam in quo est ab aeternitate Deus, egressum neutiquam a te cepit: in eo autem, in quo ab aeterna substantia ab initio exit, atque in hoc, in quo exit ex te, unus est. *Complebit ea usque ad tempus, in quo parturiens pariet,*[4] i. e. decreta sua Deus ad effectum perducet, interim dum expectatur partus Virginis.

### In selecta S. Scripturae loca Sermones exegetici XI

OS II, 318 In Gen. III, 6. [...] Per Evam nempe decora et amabilis homi- **309**
nis gloria extincta est, quae tamen rursus per Mariam refloruit.

[1] Isa. XIX, 1.
[2] Dan. II, 34.
[3] Mich. V, 2.
[4] Mich. V, 3.
• OS I, 163, 177, 178, 188, 213, 282, 352, 357, 435, 493, 561.

[...] Eva gloria, et honore decora noluit serpenti despecto et 321
vili repugnare, quando et eius dicta ambigua erant, et igne probanda, ipsamque videre erat multa luce nitentem, et illum misere abiectum. Mariam ergo miremur, quae magnum Angelum interpellavit, nec expavit, sciscitata est, nec timuit. Eva nec sordidum serpentem pedibus carentem ausa est interrogare, quando puella Gabrieli restitit. Nec tamen interrogavit Maria, quo de Filio Dei vivi disquireret, de homine mortali quaesivit, quod nullum cognosceret. Maria sciscitata est de rebus, quae illi veridico plana fuissent. Admisit Eva ab hospite dicta ignoto, quae factu difficillima. Mater imprudens nostrarum miseriarum origo fuit; facta est prudentissima soror felicitatis nostrae thesaurus. Serpens, in quem inquirere oportuit, examinatus non fuit. Christum credere debemus, et nunc, ut video, excutimus et scrutamur.

[...] Gremio corporis, quod quantum est, in ipso inhabitantem 324
animum non capit, immiscuisti maiestatem tuam. O rem mirandam, tuum de Maria conceptum! Sicut enim per exiguum auris sinum intravit, et infudit se mors, ita in novam Mariae aurem penetravit, fuditque se vita, et quemadmodum lignum mortem intulit, sic aliud signum vitam revexit, ut per alterum mors vinceret, per alterum vita triumpharet.

310 In Gen. III, 6. Quae duae feminae innocentia et simplicitate OS II, 327
floruerunt Maria, et Eva, altera salutis, altera nostrae mortis origo fuit. Age, rationes utriusque conferamus. Eva ex quo simplicitatem a prudentia discrevit, plane desipuit; Maria sapienter prudentiam credidit esse salem, et condimentum simplicitatis. Enimvero non sapit simplicitas, quam non condit calliditas, nec calliditas spem salutis facit a simplicitate remota. [...] * Oculum Evae arboris per- *328
culit species, aurem pepulit veteratoris consilium, ambo haesere infixa animo: absoluto opere incessit dolor et paenitentia. Aure vidit Maria illum absconditum, voce concepit in utero Virtutem ad corpus demissam. Inter haec mors, et diabolus dum anxii se mutuo suspectant, invicem interrogant. Quid istuc, quod pulsat aures carmen? Angelos quippe audiebant hunc de illo hymnum modulantes: Hic est extinctor mortis, et diaboli triumphator, gaudium Angelorum et hominum spes. Hinc incessit trepidatio et metus, compulitque ad fugam ambos. Diabolus deserta petiit, sub terram subiit mors, incassum tamen, ille nimirum fugientes insecutus suis in latebris oppressit, in solitudinem penetravit, et diabolum in propria eremo debellavit, descenditque in imos terrae sinus, et mortem in suis speleis concidit. Hinc sublatis humanae rei eversoribus, spes infimis revixit, et aucta summis laetitia. Tum

vero caelo delapsi vigiles terrigenis laeta omnia nunciarunt, eorumque cumularunt gaudium. Caeterum lumen oculo receptum sua illum praesentia tergit et illustrat, eiusque pulchritudinem ac venustatem proprio fulgore exauget et ornat. Maria oculus fuit, lux habitavit in illa, suoque numine ipsius mentem extersit, purificavit phantasiam, cogitationes mundavit, et defaecavit virginitatem. Rursus si fluvius in quo baptizatus fuit, illum mystice iterum concepit, et mollis aquarum uterus purissime parturiit, sancteque peperit et extulit gloriose, agnoscas in puro fluminis alvo filiam hominis, quae sine viro concepit, et peperit sine semine, atque ex gratia gratiae Dominum educavit. In flumine paruit Sol Oriens, fulgur in sepulcro, in summitate montis resplenduit, et refulsit in utero,
*329 cum elevaretur, et ascenderet, sua luce coruscavit. [...] * Confitemini, fratres, Creatori lucis, et in hoc aspectabili lumine supercoelestium syderum agnoscite imaginem, et laudate Opificem, qui in visibili luce, lucem invisibilem Salvatoris nostri spectabilem nobis fecit. Illumina, quaeso, praeceptis tuis vocem dicentis, et aures audientis: oculorum nempe geminae sunt aures, hisque lucis officium vox praestat. Agesis cum oculo debeat corpus, suis bene compactum partibus, suorum organorum nitorem, decorem actuum suorum, reliquorum sensuum ornatum, membrorumque venustatem: manifestum est Mariam fuisse eius syderis ianuam, cuius praesentia spes nostra revixit, quando per illam mundum, eiusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. Et si mysterium utriusque nosse cupis, cogita corpus geminis praeditum oculis, quorum alter casu occaecatus lumen amisit; mira nitet alter luce, quam rebus omnibus etiam communicat: mundum iam respicito, duos hic oculos nactus est: Eva fuit oculus sinister plane caecus, dexter ex adverso nitidissimus Maria, ut laevo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox.

## Sermones de Nativitate Domini

OS II, 396 Sermo I. Gratissimus multoque iucundissimus accidit Regibus, 311
Sacerdotibus, ac Prophetis hodiernus dies; ipsorum siquidem praedictiones re praestitit, idemque confirmavit. Virgo Emmanuelem hodie in oppido Bethlehem peperit: natus est igitur, qui Isaiae vaticinium implevit [...]

Adam mulieri laborum, et dolorum causa fuit, matri damnum compensavit filia Virgo, quo ipsi peperit Salvatorem; Evam genitricem genuit ingenitus vir, quanto credibilius videatur, filiam
*397 Evae citra * viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum

peperit protoplastum, terrae Dominum, Coeli Dominum Adamum hodie virgo parit. Virga Aaronis germinavit, refloruitque aridum lignum, mysterium declarat hodiernus dies proponens virginei uteri partum.

312 Maria hodierno die fermentum in nobis abscondit de penario Abrahami acceptum. OS II, 401

313 Sermo III. [...] Sub hyemem, quae pomariis poma diripit, sterilis vitis divino pubescit foetu, sub frigida tempestate, quae omnium arborum decussit ornatum, germen de Iessaea stirpe se nobis erupit: mense decembri, qui semina terrae commissa tegit, de Virginis utero spica salutis extitit: vere novo, in quo herbescunt sata et fundunt frugem, seritur divinus ille manipulus, terraeque committitur, quem olim demetet mors, voratumque demittet in infernum, quem tamen ipsa, quam hauriet, vitalis medicina disrumpet. Vere novo quando in campis agnelli vagantur, uterum Virginis ingreditur, qui postea fluvium ingressus, peracto baptismo, piscatores inde egressos cepit, res quippe omnes in se reciprocat et reducit. OS II, 407

[...] Tempore hyberno, quo terra parere intermittit, Virginitas parere didicit. December, qui terrae conceptus cohibet, partum Virginis protulit. Agnos novellos pastores vident primi, veri Agni ortum pastores primi sibi caelitus nunciatum agnovere. Lupus ille senex Agnellum ubera sugentem vidit, et extimuit vel suam dissimulantem formam, scilicet postquam lupus ovilla se pelle texit, omnium pastor factus est unus de grege agnus, sic ipse disponebat, ut a rabido illo hominum helluone agnus mansuetus voraretur, et vicissim ipse vorantem sua virtute disrumperet. Sanctus in utero corporaliter habitavit, in mente nunc spiritaliter habitat: si Maria, quae illum concepit, nuptias aversata est, caveat, quae ab illo inhabitatur anima scortationem: Maria illius adventum praesensit, et sponsi thalamos dimisit, ecce in castis animabus habitat, si tamen sensere praesentem. 410

314 Sermo VI. [...] Rachel sterilitatis impatiens virum incusabat, dicens: Da mihi liberos: felicem Mariam, in cuius sinum, ipsa non petente, purissime, descendisti, donum accipienti ultro oblatum. Sara, Rebecca, Anna, et Elisabeth lacrymis, votis et precibus prolem efflagitarunt, et sic tandem aliquando post diuturnum laborem, et plurium annorum luctum exorata foecunditate respirarunt: vere Beatam Mariam, quae nec prolis desiderium sensit, nec pro ea impetranda preces fudit, aut vota nuncupavit, concepit nihilominus, integra Virginitate manente, peperitque Dominum, cui serviunt omnes de muliere nati, sancti et iusti Sacerdotes, et Reges quot- OS II, 420

quot tulere praeteritae aetates, aut futurae ferent. Quae Mariae similis mater usquam extitit, cui clausum utero foetum alloquio
*421 cantuque mulcere * licuit, ne dum summi Filium Opificis, Filium Creatoris, Filium Altissimi appellare Filium suum? Aut quae puerpera natum sic precata est? Ave, spes matris, quia Deus es, ave, Dilecte et Fili, quia homo es, hinc amor, inde timor cum mihi tibi apparere contingit.

OS II, 422 Sermo VIII. [...] Sic tuo, Domine, ab inferis reditu tuum ab **315** utero exitum persuasisti, ambo clausi, signati ambo, uterus et tumulus, purus in utero, vivus in tumulo, uterum ac tumulum habuisti testes ob appressa sigilla firmissimos. Venter et sepulcrum resurrectionis, et nativitatis tuae miracula proclamarunt, obsignatus venter te concepit, sepulcrum sigillo pariter munitum te edidit, venter praeter naturae modum te concepit, et infernus, eadem repugnante, edidit: signatum fuit sepulcrum, cui te custodiendum tradiderunt, integer fuit uterus, qui te concepit, virique nescius: uterus intactus, tumulus signatus, geminae tubae contumacis populi surdas pepulere aures, uterus integer, inviolatum lapidis signum sycophantarum turbam convicerunt, maligne iactantium, conceptum fuisse viri opera, furum opera corporis resurrectionem. Virginitatis, inquam, signacula, et publicae auctoritatis sigillum, eo loci deduxere protervos, ut proprio iudicio coacti, te de Caelo descendisse faterentur.

OS II, 423 [...] Qui sciret, quonam tuam, Domine, Genitricem nomine ap- **316** pellare deberet, nemo fuit: Virginem ne diceret, at eius in oculis omnium prostabat natus: nuptam ne affirmaret, at ad eius nuptias neminem pervenisse certum erat. Iam si matrem tuam mente intelligentiaque assequi nemo potest, quis te attingere se posse credat? Mater tua Maria sola est, si solam cogito, alioquin soror, si cum reliquis confundo feminis. Facta tibi mater est, et in communi sanctarum feminarum choro soror quoque et sponsa: video, ut omnibus illam decorasti modis, o matris tuae decus. Sponsa tibi data est, antequam venires, quod secundum naturam transactum est,
*424 venisti, teque concepit, et * hoc supra naturam, sicut et illud, quod te peperit, et Virgo permansit. Omnium nuptarum praerogativas habuit Maria: citra viri operam viscera prole, lacte implevit ubera, te iubente, statim fons lacteus erupit e terra sitiente. Aspectu illo tuo magno recreata mater te gestat, nec tamen ipso gravatur onere, cibum ministrat, esurire volenti, porrigit poculum tibi ipsi ultro cienti sitim. Si illi amplexari te licuit, tua istud praestitit benignitas, prunam ardentem, ne pectus eius exureret, attemperans. Prodigium est mater tua: suscepit Dominum, servum fecit, suscepit disertum, mutum reddidit, suscepit tonantem, vocem ademit, susce-

pit provisorem sospitatoremque universi, mutavit in agnum, et balantem enixa est; ordinem rerum venter pervertit Matris tuae, qui componis et ordinas universa: hunc ingressus dives, egenus inde exiisti; subiisti excelsus, humilis prodiisti; intrasti luce ipsa clarior, obscurus egressus es sic, ut nulla in habitu dignitas, in forma nulla auctoritas appareret. Impavidus, qui timorem nec capis, ex utero matris hausisti, posse timere: inde esuriem didicisti, qui pastum cunctis viventibus praebes, qui aperis fluenta sitientibus, inde sitire coepisti; ab omnibus rebus nudus atque vacuus indidem extitisti, qui vestis et ornas universa.

317 Sermo IX. [...] Qui hebraeos maxime suspiciosos et criminatores noverat, Deus, feminas miseratus pro earum indemnitate, suas auxit ordinationes: si uxorem, ait, oderit maritus, non ante dimittat, quam scripto libello repudiatam declaret. Quod si violatae fidei suspectam habeat sacris aquis eius pudicitiam exploret. Si quis alius quispiam eidem impegerit falsum crimen, velamen pro multa dabit.[1] Omnem suspiciosis et calumniatoribus ansam praeripuit Maria, quae virginitatis claustra intemerata perpetuo servavit. Quo zelotypiae leges promulgavit Moyses, hoc ipso illorum in hac parte vitium satis ostendit. Iam vero si feminas suas adhuc innuptas atque velamen virginale gestantes, violatae pudicitiae accusare solebant, et hoc praetexto crimine morte multare, nil mirum si matri, prole praesente, similem calumniam intentarint. Aquis exploratoriis et velamine, quibusdam velut rudimentis illos ante exercuit, ut cum advenisset ille, cuius nutu omnes concipiuntur foetus, et venter, in quem ille descendisset, ipsis suspicionem movisset, virginalia claustra, praesente foetu, adhuc intacta, in illorum impudentiam perorarent. Si ergo viro desponsam deprehensa virginitatis signacula vitae periculo subtraxerunt, eadem custodita custodienti salutem pepererunt. Ergo, quicumque sapis, arma custodi, quae si expugnata fuerint, adversus Dominum retorta dimicant. OS II, 427

318 Sermo XII. [...] Cum adhuc virgo esset, ignominiosa folia induit Eva mater nostra, quae vero, perseverante etiam virginitate, Mater tua effecta est, gloriosam stolam suscepit, omnium mortalium nuditati indumenta provisuram. Parvum illi corporis pannum commodavit, qui nos omnes vestit et ornat. O beatam illam, cuius cor et mentem obtines! Regis aula facta est, te Regni haerede illam habitante, teque summo Sacerdote ibidem sacra faciente, in Sanctum Sanctorum transiit. Nulla talem rei familiaris aut coniugis solicitat cura, fatigatve labor. OS II, 430

[1] Num. V, 14.

## Sermones adversus scrutatores
## Margarita, seu de Fide sermones septem

OS III, 152 Sermo II. Cui similem te esse, Margarita, dicam? Hoc precor, **319** tuum me ab ore tuo pendentem, doceat silentium; tacendo loquere; mutas quicumque voces exceperit, intelliget isthuc, quod praefers, mysterium sine voce sonare salutis nostrae Reparatorem. Est mater tua sponsa maris innupta, pelagus illam non duxit, ipsa sponte sua in eius sinum delapsa est. Virgo te concepit, virgo Mater iudaeas feminas sugillat gemmata monilia gestantes, nulla praeter te gemma suo conceptu refert divinum Verbum, quod caelebs generavit Altissimus. Quas natura fingit gemmas, ad repraesentandum caelestium margaritarum nitorem formare videtur. Foetus eximius oculis patet, qui hunc concepit uterus adhuc latet; tuus, Margarita, conceptus inde valdissime admirandus, quod sine semine et coniugali opere perfectus est, origo tua singularis est, nullam habitura parem. Dominus dicitur habuisse fratres, qui certe nullos habere potuit, quum natura unicus sit. O partum singularem et admirandum qui tui similem extra Unigenitum nullum habes!

## Parenetica

OS III, 409 Parenesis IV. [...] Esaias divinorum arcanorum verus interpres **320** appellavit Christum ortam *de terra sitiente radicem*,[1] utpote sine semine de casta Virgine Maria natum.

## De Paradiso Eden

OS III, 572 Sermo IV. [...] Nudus Adamus decorus erat, vestem coniux **321** manu sua elaboratam ei adcommodavit, vestem scilicet sordidam, et omni sorde culpa peiore foedatam. Lapsum protoplastum vidit Paradisus et luxit casum, cui ipse caussam dedisset. Vestem Maria aliam latroni quaesivit aptavitque, et addito promisso in spem fortunae melioris erexit. Hunc item Paradisus vidit, et effuso sinu complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit.

• OS II, 33, 34, 35, 40, 216, 272, 295, 321, 405, 409, 411, 412, 413, 415, 416, 418, 419, 421, 425, 428, 429, 433, 478.

[1] Isa. LIII, 2.

## Sermones de diversis

322 Sermo I. [...] Prima tibi coronides ab ea, in qua editus es urbe decernitur. Duo tibi dat diademata, quae te genuit mater, quaeque te excepit spelunca. Reliquae deinde urbes, quas tenent coronas ad pedes abiiciunt tuos. Quod enim supremae tuae Maiestati deferunt munus, id a te acceperunt; unde nihil sumis, quod non prius impertiveris. OS III, 600

Tua te adoret Genitrix, tuoque capiti diadematis ornamentum superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic ceteroquin ethnicam pravitatem sequutus, suae honorem dignitatis depresserit. At tu davidicam, ex qua profectus es sobolem amplissime decoravisti: tu ipsius thronum magnifice elevasti, familiam longe lateque propagavisti, et eius citharam ubique provexisti.

Eadem tua Parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat: qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Iosephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere et naturalis aeterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti; tu, pastor amantissime, missus ad quaerendas, quae perierant, oves tamdiu laboravisti, donec inventas ad ovile reduceres.

Quod tantum conceperim filium, sic enim Virginem Mariam secum alloquutam fuisse credibile est, id me prae omnibus, qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit: quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia Paradisi pomaria, ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, quum in matrem me elegerit, seque mihi in filium esse dignatus fuerit, quoniam ipsi prae omnibus aliis mulieribus placui. [...]

* Filius David Ioseph davidicam sibi desponsavit filiam, ex qua prolem sine semine habuit, quae Mariae pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit; et sic ex utroque tribus ipsorum sobole ditata est augustissima, quae *Filius David* in laudata regum genesi apposite nuncupatur. *601

Turpe profecto erat, Christum ex viri semine procreari; nec honestum, ut idem ex femina citra coniugium nasceretur. Edidit Maria infantem, qui non sub ipsius, sed sub Iosephi nomine scriptus est, licet ex huius semine non derivatus. Ortus est sine Iosepho Iosephi filius, qui Davidis filius simul et parens exstitit.

Quum de tam sublimi mysterio sermonem Moyses institueret, sponsam * Virginem uxoris vocabulo appellavit; sponsum vero, qui ab ipsa religiose abstinuit, coniugem dixit, ne videlicet quis Davidicum genus extinctum suspicaretur; sine viro enim qui fieri po- *602

tuisset, ut Christus filius Davidis haberetur? Quare conveniens fuit, ut virginis sponsus coniugis personam gereret. Ipse pariter Dominus ex progenie David se ortum fassus est, dum eiusdem filius vocari non repugnavit.

Iamvero si Christus, viri a sua stirpe longe dissiti, filius nominatur, eo quia in ipso sibi Deus complacuerit, quis veram Iesu Christi secundum carnem nativitatem in controversiam adducere audeat, dum Christus ex filia David conceptus, et in gremio filii David enutritus, in Civitate David adoratus fuit?

Haec omnia dum tacitus contemplor, improviso quodam studio rapior sciendi quidnam egerit, aut in quo occupata Virgo fuerit, quum Dei nuncius Gabriel ipsam adiit. Eam quidem orantem invenisse verisimillimum est, quemadmodum et Danielem identidem orantem reperit. Orationem fausta solent nuncia subsequi, quibuscum coniunctissima familiaritas cognatioque intercedit, qua sese mutuo recreant et inflammant. [...]

Fausta quaeque in oratione, veluti tutissimo in portu conquiescunt, quum sit eorum omnium basis et fundamentum. Quare angelica annunciatio in Mariae oratione gaudiorum omnium caussam deprehendit. Hinc Gabriel, ea salvere iussa, inquit: *Ne timeas*. Animadvertendum vero est, Archangelum sub venerandi senis forma missum esse, ne tam casta, tamque verecunda puella iuvenili turbaretur aspectu, nec timore ullo corriperetur.

Ad binos optimos senes, et ad Virginem delegatus legitur Gabriel, quorum ingenia erant arcte inter se connexa, et in voluntate prope simillima; Virgo nempe, sterilis Zacharias, et fidelis Daniel. Hic postremus nasciturum brevi Dominum prophetica prius mente concepit; alter vocem clamantis in deserto edidit, Maria denique Dei Altissimi Verbum ad lucem produxit.

OS III, 604 Sermo III. Quicumque, fratres carissimi, miram illam, ac prorsus inauditam rationem, qua Unigenitus Dei Filius nostrae reconciliationis mysterium peracturus, novem integris mensibus virginea in alvo delituit; quaque fragilis nostrae mortalitatis natura ad immensam Divinitatis gloriam gestandam fuerit roborata humanae imbecillitatis viribus perscrutandam sumat, cogetur profecto tanti facinoris excellentia perterritus obmutescere. **323**

Divinorum propterea arcanorum missa vestigatione, dum pauca
*605 de sanctissimae * Dei Genitricis laudibus dicere aggredior, primo in limine maxima ipsius verecundia occurrit, quam Deus olim Moysi in Monte Horeb sub rubi imagine praemonstravit.[1] Nullum ista

[1] Exod. III, 2.

detrimentum passa est, sive quum Verbum in illius uterum descendit, sive quum expleto novem mensium cursu ad lucem prodidit.

In hac Christi Domini nativitate duplex prodigium admirari subit; Christus ex virgineis visceribus nullo hominis commercio labefactatis egreditur; Christi praecursor Ioannes praeter communem naturae ordinem nascitur. Virgo Deum parit; sterilis Virginem. Mariae uterus divina praesentia sanctificatur; exultat Ioannes de Christi praesentia,[1] qua adhuc in utero clausus fruitur. [...]

324 At vero operae pretium me heic facturum existimo, si huiusce praeclari operis seriem paulo altius repetam, ne quid gloriae Mariae Virgini debitae silentio praetermisisse arguar. Illuxerat iam laetissimus ille universo orbi dies ad humani generis reparationem praefinitus, quum extemplo Dei nuncius Gabriel ad Virginem delegatur; ad quam ingressus, ipsi Dei verbis prius consalutatae legationis negocium declarat. Rei novitate perculsa Virgo primo perturbatur; deinde, timore posito, ab Angelo quaerit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*[2] Cui Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[3] Quibus illa cognitis, ne diutius divinae voluntati obsisteret, subdidit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*[4] OS III, 606

Ex quo itaque Maria Virgo supremis Dei decretis obtemperavit, Verbum statim in ipsius uterum descendit, quin virginalis pudor frangeretur, aut minimus corpori dolor accederet. Quapropter speciosus in splendore suo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, exinanivit semetipsum, ut quod Adam per inobedientiam destruxerat, ipse per humilitatem resarciret.

Sileat quicumque audit Dominicae Nativitatis sacramentum, et angelicam legationem devota fide veneretur, non curiose vestiget; neque enim divinae * omnipotentiae difficile fuit Reparationis opus *607
pro nobis susceptum ex nobis inchoare.

Maria ergo hodie Caelum pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum.

[1] Lc. I, 41.
[2] Lc. I, 34.
[3] Lc. I, 35.
[4] Lc. 1, 38.

OS III, 607 In ipsa terminum habuere Iustorum ac Prophetarum omnium 325
vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud Sydus prodiit, quo duce populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est, ac fuerat ingressus; quum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit.

Ipsa est mysticum illud Caelum novum,[1] in quo Rex Regum tanquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quandam speciem et similitudinem praeseferens.

Ipsa est vitis fructificans suavitatem odoris,[2] cuius fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit, ut suam ab arbore similitudinem mutuaret.

Ipsa fons est de domo Domini egrediens,[3] ex quo sitientibus fluxerunt aquae vivae, quas si quis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum.

Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est; hodie renovata; initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo,[4] hodie vero pax illi et securitas restituta. Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit; hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum.

Qui sedet super Cherubim, en modo muliebribus brachiis sustentatur; quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem Throni, Dominationesque metuunt, puella fovet; cuius sedes in saeculum saeculi, en virgineis genibus insidet; cuius pedum scabellum terra est,[5] eandem puerilibus premit vestigiis.

[1] Apoc. XXI, 1.
[2] Eccli. XXIV, 23.
[3] Ioel III, 18.
[4] Gen. III, 17.
[5] Ps. XLIV, 7; CIX, 1.

• OS III, 5, 6, 23, 35, 42, 80, 93, 137, 150, 352, 479, 481, 507, 519, 532, 599.

## Sermo in Transfigurationem Domini

**326** [...] Clamavit vero Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*[2] Non separatus a gloria Divinitatis Filius. Nam una natura est Pater, et Filius, cum sancto Spiritu, una potentia, una essentia, unum regnum: et in unum clamavit voce in nomine simplici, et in gloria formidabili. Et Maria ipsum appellabat filium, non separatum corpore humano a divinitatis eius gloria. Unus quippe est Deus, qui in corpore visus est in mundo. Gloria eius, divinam significavit naturam, quae est ex Patre: et corpus eius, humanam indicavit naturam, quae est ex Maria: ambas naturas, quae convenerunt atque unitae sunt in una hypostasi. Unigenitus ex Patre, et unigenitus ex Maria. Et qui dividit, dividetur a regno ipsius: et qui confundit eius naturas, peribit a vita eius. Qui negat Mariam genuisse Deum, non adspiciet gloriam divinitatis ipsius: et qui negat eum carnem gestasse a peccato alienam, eiicietur a salute, et a vita, quae per eius corpus data est. Ipsae testantur res, et divinae ipsius virtutes docent illos qui valent discernere, ipsum esse Deum verum: passionesque eius aperte demonstrant, ipsum esse verum hominem. Et si id sibi persuasum non habent qui mente infirmi sunt atque imbecilles, poenas luent in die eius formidabili. Si enim non erat caro, *quorsum Maria in medium *47
producta est? Et si non erat Deus, quemnam Gabriel Dominum vocabat? Si non erat caro, quisnam in praesepio recumbebat? Si non erat Deus, quemnam descendentes glorificabant Angeli? Si non erat caro, quisnam involvebatur fasciis? Si non erat Deus, pastores quemnam adorabant? Si non erat caro, Ioseph quem circumcidit? Si non erat Deus, stella in coelo in cuius honorem accurrebat? Si non erat caro, Maria quemnam lactavit? OG(1) II, 46

## In secundum Adventum Domini

**327** [...] Salve, Domina Deipara: tu multum quidem laborasti pro nobis deprecans, ut salvi essemus: verum nos poenitentiam agere et salvari noluimus. OG II, 220

[1] Cf. Ricciotti, 102 ss. De paternitate OG dubitant viri docti. Exclusimus exemplum graecum brevitatis causa.

[2] Matth. XVII, 5.

## Sermo adversus haereticos

OG II, 263 [...] Refero exemplum, cuius naturam revelare possum: modum- 328
que per quandam similitudinem intelligo, non tamen vim actionis revelo. Margarita, lapis est ex carnibus genitus, quoniam ex conchyliis prodit. Quis ergo non credat, Deum ex corpore hominem esse generatum? Illam non concharum coniunctio format, sed fulguris et aquae commistio. Sic et Christus in Virgine conceptus est, citra aliquam voluptatem; dum Spiritus Sanctus ex eius massa assumptionem Deo constituit formavitque. Margarita neque murex gignitur, neque ut spiritus in figura procedit: sic et Christus non permixtus cum Divinitate, neque purus est homo, neque cum immiscibili divinitate commissus, tamquam in figura spirituali est genitus. Margarita in hypostasi generatur, et alium secundum se lapidem non generat. Christus quoque non est alius, nisi qui a Patre genitus est, et ex Maria natus. Non figuram dumtaxat dictus lapis habet, sed etiam substantiam: ita quoque filius Dei in hypostasi est natus, et non in figura. Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus: ut ostendat Christum; quoniam quum Verbum Dei sit, ex Maria homo natus est: non partialem habuit naturam; quoniam neque aliud animal erat: sed perfectam habet duplicem naturam, ne duas perdat: neque enim una sola natura Deus super terram visus est: neque altera sola homo in coelos ascendit: verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus. Non divisa est caro a divinitate, neque Divinam naturam
*264 humana natura oneravit. [...] * Natus est etiam Filius non seminatus ex carne: et filium fructificavit natura, sine viro ad generationem concurrente. O magna mysteria: o coelestia dogmata: quia peperit natura non proprium: et filius natus est, non ex viro procreatus. Virgo facta est mater, et natura fons; alvus nutrix, et puella diutrix et cooperatrix. Assumptio ex ubertate naturae, et generatio ex plenitudine determinata ipsi naturae. Sola mulier absque viro genuit: nam corruptionis expers erat, qui generabatur. Virgo peperit, propter eum, qui puritatis ac castitatis fons erat: voluptatis expers, procreationi filii servivit: nam vitiorum superatorem produxit.

*265 * Quomodo igitur figuram tantummodo suscepit, qui et naturam, et essentiam, et tempus generationis participavit? Quo pacto igitur homo prodiit, qui omnem creaturae praebet experientiam, absque corruptione ac partus dolore? Neque enim passa est Maria, ut mulier; neque partus dolorem sensit, ut Virgo: neque aliena a genito erat: nam propter naturam, quae nutrivit, communicationem socie-

tatemque habebat: et mater filii alienae naturae erat, propter assumptionis subministrationem. Crevit in utero Christus, quum, ut Deus, nullius indigens esset: et filius ex muliere natus, quum filius esset Dei. Agnovit Mariam matrem: humanitatem enim per eam complexa est Divinitas. Filius erat eius, quae subministraverat: quia non solum fide voluntatem atque electionem praebuit, verum etiam natura assumptionem participavit.

Si figuram Verbum assumpsisset; quid natura fuisset opus? Si tamquam in specie processit; quae mulieris necessitas? Si velut per canalem ac fistulam descendit, cur conceptionis tempore indiguit? Cur in Virgine tanquam in loco diversatus est, qui esset extra naturam proditurus? Qui sic natus est, ut qui de coelo delapsus in Virgine habitasset; cur non illico terrae coelitus apparuit? Qui naturam humanam non assumpserat; cur subito inter homines ex aëre se notum non praebebat? Si perfectam oeconomiam habebat; quid ex virginali natura assumebat? Neque supervacaneus est Deus, neque illusor. At supervacanea Maria, si Christus in figura venit. Illuderet etiam Deus, generationem hominibus in praesepi ostendens. Sit ista verborum necessitas, rationum accusatrix. Nam Christum veritatem esse novi, et in Margarita eum suspicio, utpote Deum, qui ex Virgine hominem assumpsit.

329 Virgo naturae Divinitatis ministravit: ac propterea naturam ei incorruptibilem praebuit. Si actio quaecumque fuisset illud munus, etiam homo hanc efficere potuisset. Et, si figura fuit illud ministerium, ars igitur hominum Divinitatem iuvisset. Uterus Divinitati servivit: et ob promptam obedientiam, mercedem accepit, ut sine dolore esset. Produxit naturam labori atque dolori obnoxiam: et ipsa doloris laborisque eam expertem recepit. Donum infirmum produxit, validumque illud recepit. Dedit uterum labori atque dolori subiectum: et eundem integrum illaesumque ipsa recepit. Medicus erat, qui natura eius utebatur: ac propterea sanam illam restituit. Non erat homo, qui Virginem pro filii generatione adhibere volebat, sed Deus: atque ideo naturae, quod non habebat, praestitit: ut ostenderet, se non venisse ad dirumpendam naturam, sed ut integram atque incorruptam eam conservaret. Margarita erat qui generabatur: ideoque elapsus est, et absque labore atque dolore natus. Neque asper erat, ut terreus; neque fluxus et effusus, ut humidus; neque in multas partes divisus, velut materialis; sed infans Deum perfectum continebat sub natura simplici tectum: ac propterea vi illius qui in ipsa erat, Virgo instar cochleae naturaliter peperit, et ut mulier nequaquam passa est; rursus natura, sicut conchyliorum plicis ac sinibus usu venit, ad virginalem statum re- OG II, 266

currente. Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto: et ob id, neque eo genito, reserata est, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta est, dum gigneret.

Cogor inhaerere sermoni, ut omnia commemorans, haereticis ostendam, Christum natum esse hominem, et non qui videretur prodiisse. Nos, quemadmodum concipimur, sic etiam generamur. Corrumpitur mater, dum concipit: laborat ac dolet, dum parit: perdit naturae sigillum, ut concipiat, propterea quoque, dum parit, non modo diducitur, verum etiam ob naturae imminutionem, flaccescit atque languescit, doloreque torquetur, ut corruptionis, quae initio accidit, admoneatur. Quoniam, ubi semen processit, et ad maturitatem proseminatae carnis pervenit, dolores partus comparat. At non sic Christus: sed sine dolore genitus est, quoniam et sine corruptione fuerat conceptus, in Virgine carnem accipiens, non a carne, sed a Spiritu Sancto. Propterea et ex Virgine prodiit, Spiritu Sancto uterum aperiente, ut egrederetur homo qui naturae opifex erat; et
*267 Virgini virtutem * in suum augmentum praebebat. Spiritus erat, qui puerperam, thori maritalis nesciam, in partu adiuvabat. Quapropter neque quod natum est, sigillum virginitatis commovit; neque Virgo laborem ac dolorem in partu sensit [...]

OG II, 267 Nonne igitur Deus hominibus artificio praestet, in dilatanda et **330** coarctanda natura, ita ut nulla ex parte labefactetur eorum corporum mole, quae per medium prodeant? Reges, in quibus exaltantur, aut geniti sunt, civitatibus privilegia donant. Filius igitur Dei, nonne Virgini matri suae, quum possit, virginitatem concessit? Alii locorum possessores ac domini, loca et fontes excogitant, et naturas aquarum emendant, et coeli temperiem meliorem solertia ac sedulitate reddunt. Et Christus nonne multo magis etiam ea quae videbantur naturam perturbare posse, correxit ac reparavit? Aut quasi unus ex hominibus, matrem quae ipsum genuit, tamquam unam ex multis esse permisit? Quemadmodum igitur solus ex Virgine natus est Christus; ita etiam Mariam in partu virginem permanere decebat, matremque absque dolore fieri. [...]

Sic dicit et evangelium: Spiritus Domini superveniet in Virginem. Cur ita? Ut scilicet virtutem acciperet, suscipiendi Divinitatem. *Et virtus*, inquit, *Altissimi obumbrabit tibi.* Fulgur tuae insidebit naturae: *quia quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.*[1] Non dixit, quod genitum est, iterum gignetur: neque dixit: quod nascetur ex virtute, vel ex Spiritu Sancto: sed, *ex te*: ut Virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsa,

[1] Lc. I, 30-35.

et ex ipsa, Verbo Deo coniunctam. Nisi enim dixisset, *quod nascetur ex te*, fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse. Quaedam tamen exemplaria non habent illud, *ex te*, ut * haeresibus *269
gratificentur. Tametsi autem non habent illud, *ex te*, o haeretice: additio tamen quae sequitur, adhuc sententiam conservat: ait enim, *ideoque et quod nascetur*, assumptionis nexum significans. Caeterum conceptio naturam arguit, et figuram reiicit: et Archangeli loquutio testificatur, ob nihil aliud Deitatem Virgini obumbrasse, quam ut nasceretur homo. Potuisset quippe citius universae apparuisse terrae, nisi per veram hominis assumptionem cum hominibus conversari voluisset.

331 Quemadmodum autem fulgur universa explorat, sic etiam Deus: OG II, 270
et sicut illud occulta illuminat, ita quoque Christus recondita naturae purgat. Ideo Virginem purificavit, et sic natus est: ut ostenderet, ubi Christus est, ibi omnem puritatem operari. Mundavit eam in sancto praeparans Spiritu, et sic ipsum purificatus concepit uterus. Mundavit eam in castitate ac puritate: ideoque natus, Virginem ipsam reliquit. [...]

Virgo, Dei Verbum toto suscepit corpore, simplicitateque naturae, et non curioso ac redundante motu, Deitate impleta est: intellexitque, ex conditione humana se assumptionem suscepisse. Cognoscebat conceptionem: at viri congressum et consuetudinem ignorabat: intelligebat quidem absconditum in se pondus: sed appetitum superfluae corruptelae experta non erat: omniaque ad pudicitiam concurrebant membra, proprii impetus et appetitus oblita. Etenim ad ortum solis, cuncta redduntur splendida, apparensque foris Sol, illuminat universa: quid agat in cubiculo totus ad unum admotus? Si Paulum Christus de coelo illuminans, ad pietatem transtulit, fecitque ex lupo ovem, ex persecutore Apostolum, misericordem e crudeli, et ex inobediente atque intractabili obedientem et tractabilem: quanto magis intus in Maria quum esset Divinum Verbum, ipsam ab omni corruptione atque mutatione alienam fecit. Pro arrhabone fidem accepit puellae, et non amplius propendens erat gratia: sed dum iure optimo incorruptionis vim illi praebet, fides naturam adduxit, et hanc excipiens gratia, non amplius esse corruptibilem passa est: verum sibi ipsam adiunxit, sicut Rex vas privati alicuius hominis, proprium sibi faciens. Atque ita facta est Maria, non iam mulier, sed Virgo per gratiam: sicut cibus iumentorum regius efficeretur, si Rex eius particeps fieret atque eo vesceretur. Non dico immortalem illam fuisse; sed quod ab appetitu seducta eversaque non fuerit, gratiae vi illustrata. Rubiginem, quam natura habebat ferro adhaerentem, gratia mundavit: * voluptate *271
affecit, ideoque conservavit.

OG II, 276 [...] Verumtamen non ex superinducto semine Virgo peperit: **332**
absit; sed suam ipsius substantiam sine motu carnali commodavit, et non lapidibus ascia vel securi dolatis Sapientia sibi domum aedificavit. Non est auditus ferri sonus in aedificio: neque enim vir in Maria ministravit, sed sola Virgo. Politi per se ac iam dolati lapides erant, non ab hominibus praeparati: ita etiam in Maria assumptio non virili opera facta est, sed ex natura nostra delecta per castissimam Virginem. Sicut e terra sumpti sunt lapides; ita et assumptio aucta est per naturam, et divinitas mansit immaculata propter incontaminatam naturam. Absque ferro aedificatum est Templum: et sine corruptione atque dolore natus est Christus. Sola terra ministravit, sicut et sola Virgo concepit. Non est scissa petra neque sensit lapidum abscissionem terra: et Virgo neque mota est, neque ex voluptate concepit. Non aliunde terra lapides acceptos praebuit: verum ipsa eos sine labore atque experientia ex seipsa suppeditavit. Similiter quoque in Virgine non superinductus quispiam assumptioni fuit, sed ab ipsa assumptus est. Nam alioquin nutrix fuisset, et non mater; custos depositi, et non fons praestantissimae filii procreationis. Evangelium illam matrem appellat, et non nutricem. Sed et Iosephum quoque patrem vocat, quum nullam in ea generatione partem haberet: non enim propter Christum dicitur pater, sed prop-
*277 ter Virginem, ut non ex * fornicatione putaretur peperisse, sicut iudaei ausi sunt dicere. Non appellatio naturam tribuit; nam et nos crebro patres nuncupamus, non quidem genitores, verum senio conspicuos. Porro ipsi Ioseph natura appellationem indidit, honoremque tempus praebuit: quoniam Virginis et Ioseph sponsorum arrhabones, ut hoc nomine vocaretur, effecerunt; patrem autem, qui non genuerit.

## Ad Ioannem Monachum

OG III, 408 Necesse est ergo nos confiteri sanctam, semperque Virginem Ma- **333**
riam Dei genitricem esse secundum veritatem, ne in illorum blasphemiam incidamus. Qui enim sanctam Virginem vere esse Dei Matrem inficiantur, nondum fideles sunt, sed discipuli sunt pharisaeorum, ac sadducaeorum; eorum fermento enutriti, oculos mentis suae excaecarunt contra ipsum blasphemantes, ac dicentes: *De bono opere*
*409 *non * lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo quum sis, facis*

• OG II, 42, 43, 201, 226, 264, 266, 267, 274, 275, 277, 278, 303, 313, 313, 318.

*te ipsum Deum.*[1] Qui vero fatentur Sanctam Virginem esse Dei matrem, ne denegent illum qui pro nobis cruci affixus est, esse Deum: quem enim Sancta Virgo peperit, illum iudaei cruci affixerunt. Si vero hominem confiteris illum, qui pro nobis crucem subiit, non Deum secundum veritatem; non item secundum te Dei Mater, Mater Dei est, sed hominis genitrix. Minime igitur Dei gratiam respuas: quem enim peperit Sancta Dei genitrix, eum iudaei crucifixerunt; nos vero confitemur, ante saecula genitum ineffabiliter ex Patre, Deum de Deo in fine temporum per summam bonitatem voluisse carnem sumere de Spiritu Sancto, atque ex Sancta Virgine carnem assumpsisse, ex eadem animam nobis consubstantialem, atque iisdem perpessionibus subditam, vivificam, rationalem, atque intelligentem.

### Precatio

**334** [...] Suscipe * me secundum magnam misericordiam tuam, et salvum me fac, meritis, precibus, intercessionibus immaculatae Dominae nostrae Dei Genitricis, et omnium Sanctorum tuorum. OG III, 488 *489

### Precatio secunda

**335** [...] Magnae sunt tuae super nos miserationes, Domine: ne me reiicias cum iis qui dicunt tibi, Domine, Domine; nec tuam voluntatem faciunt; precibus immaculatae Dominae nostrae Deiparae, et precibus omnium eorum, qui tibi placuerunt. OG III, 498

**336** [...] Salvam fac animam tribulatam de ore leonis, et libera eam per gratiam et misericordiam tuam, precibus immaculatae Dominae nostrae Deiparae, et omnium Sanctorum: quoniam benedictus es in saecula saeculorum. Amen. OG III, 502

### Precatio nona

**337** [...] Dei Genitrix Virgo Mater Dei, porta coeli, et arca, habeo * te salutem securam: gratis, Domina, salva me. OG III, 522 *523

[1] Io. X, 33.